

AD

SUMMAM TEXTUS MAGISTRI SENTENTIARUM

ADNOTATIO

Textus Magistri sententiarum continet ipsam originem totius scholasticæ theologiæ, quæ ex sanctorum patrum fontibus derivata est ad nos, et ideo jure summam sibi in scholis auctoritatem vindicavit. Ut ergo totum textum clarius, ac lucidius percipere possimus, et ad publicas, ac solemnes lectiones accommodare, visum est in ordinem, ac dispositionem convenientem illum redigere, ut facilius percipi possit, non solum quidquid in unaquaque distinctione tractat Magister et præcipua puncta, in quæ unaquæque distinctio distribuitur, sed etiam ordo ipsarum distinctionum inter se, quæ mirabili artificio sunt dispositæ. Unde advertet lector, cum aliqua illi inciderit distinctio prælegenda, ut per ipsa capita distinctionum percurrat ad inveniendum ordinem, connexionemque cum reliquis, id enim in initio cujuslibet distinctionis insinuare curamus, sicque ordine ipso, et dispositione distinctionum declarata, illustrior apparebit contextura ipsa, atque explicatio litteræ Magistri, et scientificæ ejus intentum comprehendetur in qualibet distinctione. Porro ad excitandas quæstiones, seu difficultates super qualibet distinctione, illæ, magis legitimæ, ac germanæ, ipsique textui inhærentiores visæ sunt, quas excitat D. Thomas dum Magister litteram commentatur. Illas post litteram adnotamus, simulque loca in partibus summæ theologiæ, ubi a D. Thoma tractantur. Et omitimus allegare auctores, qui eas pertractant, quia viso loco summæ ubi illæ disputantur a D. Thoma, facile est commentatores illorum locorum perlustrare, et in eis difficultates perlegere, et quia in his commentariis, suis locis videri possunt. Ex antiquioribus vero auctoribus, qui non summam D. Thomæ, sed libros sententiarum sunt commentati, facile est videre illos super distinctionem, quæ explicanda est. Quod semel in limine admonuisse sufficiat, ut nostri hujus laboris rationem redderemus. Vale.

SUMMA TEXTUS

libri primi sententiarum.

In toto opere sententiarum, quod quatuor libris comprehenditur, divisit Magister totam tractationem theologiam de Deo in quatuor partes. In prima agit de Deo in se, de mysterio Trinitatis, et divinis perfectionibus. In secunda de Deo creatore, quatenus per creaturarum productionem manifestatur, præsertim creaturarum rationalium, de earumque motibus in Deum, vel contra Deum. In tertia de Deo restauratore per incarnationem, et gratiis, ac virtutibus nobis collatis. In quarta de medicinis quibus ad salutem reparamur, scilicet de Sacramentis, et tandem de glorificatione ad quam pervenimus.

PROLOGUS.

In primo ergo libro præmittit prologum in quo declarat Magister intentionem suam principaliter quantum ad tria, scilicet ex arduitate tractandi theologiam, quæ potius ipsum retrahere videtur, et ex motivo, quod maxime incitat ad prosequendum, scilicet, quia ex charitate erga proximos, et zelo gloriæ Dei procedit, magnumque præmium ex hoc præstolatur, ideoque non esse timendas adversariorum calumnias, sed despiciendas: tum denique ex puritate doctrinæ, quam præcipue ex sanctis et antiquis patribus hausit, ex quibus tantum hoc opus compilavit addita nonnquam propria sententia non excedente patrum limites. Et sic tandem ab utilitate ipsum commendat, desiderans non solum pium lectorem, sed liberum correctorem.

Circa prologum excitatur quæstio de ipsa theologia: An sit scientia, an una, an speculativa, an supernaturalis, an subalternata beatorum scientiæ de quibus tractatur diffuse 1 p. q. 1.

DISTINCTIO PRIMA.

In hac distinctione ponit Magister generales divisiones eorum de quibus tractat theologia. Et dividitur in duas præcipuas partes. In prima ponit quasdam divisiones eorum de quibus agit hæc doctrina. In secunda ponit quasdam quæstiones, et determinat.

Circa primum. Prima divisio ex Augustini omnis doctrina, vel est rerum, vel signorum. Res dicuntur proprie, quæ non ad significandum adhibentur. Signa, res illæ quarum usus est in significando, et primo,

hic agitur de rebus, deinde de signis. Secunda divisio. Rerum aliæ sunt quibus est fruendum, aliæ quibus utendum, aliæ quæ utuntur, et fruuntur. Res quibus est fruendum, sunt quæ beatos nos faciunt, et sunt Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Res quibus est utendum sunt quibus tendentes ad beatitudinem adjuvamus, et sunt mundus, et in eo creata, ut ex Augustino probat. Res quæ fruuntur et utuntur, sumus nosmetipsi, et angeli sancti. Tertia divisio. Frui est amore inhærere alicui propter seipsum. Uti est id quod in usum venerit, referre ad illud obtinendum, quo secundum est. Augustinus aliter etiam definit in x de Trinitate quod uti est aliquid in facultatem voluntatis assumere, et frui est uti cum gaudio non adhuc spei, sed rei.

Circa secundum, quæstiones quatuor ponit. Primo, quia si secundum Augustinum illi tantum fruuntur, qui in re gaudent, non in spe, ergo in hac vita ubi solum gaudemus in spe, non fruimur, cum tamen inhæreamus alicui propter seipsum, scilicet Deo. Respondetur dupliciter. Primo quod et hic, et in futuro fruimur Deo, sed hic imperfecte, et in spe, ibi plene, et in re. Secundo, quod etiam hic habemus gaudium in re, et non solum in spe, quia delectamur in eo, quod diligimus, et sic jam fruimur Deo inhærendo ei propter seipsum. Secunda quæstio: An homines se ipsis debeant frui, vel uti? Respondet, quod non debent frui se ipsis, sed uti, quia non debent ponere spem in se ipsis, nec propter se diligere se debent, sed propter aliud, scilicet propter Deum. Quod autem dicit Apostolus, ita ego te fruar in Domino, dicendo in Do-

mino, ad ipsum Deum fruitionem retulit, et amorem. Tertia quæstio: An Deus fruatur nobis, vel utatur? Respondetur nullo modo frui, quia non diligit nos propter nos ipsos, utitur autem, sed non sicut nos, quia non propter suam utilitatem, vel necessitatem, sed propter nostram. Quarta quæstio: An virtutibus sit utendum, vel fruendum? Respondetur quibusdam videri juxta Augustinum quod eis non sit fruendum, quia propter beatitudinem non propter se diliguntur, habent enim se ut media ad beatitudinem. Aliis ex Ambrosio videtur, quod eis sit fruendum, quia sunt fructus Spiritus Sancti et sic propter se petendæ sunt. Respondetur ergo virtutibus non esse fruendum ut objecto fruitionis ultimo, respectu enim hujus se habent ut medium, et utendum est illis, sed ut opere a nobis exeunte, et gaudium, ac delectationem causante, et ut per eas fruamur summo bono, non illis ut re fruenda.

Circa primum quæstio est de fruitione, an sit actus voluntatis, et quid sit de quo 1-2 quæst. xii, et D. Thomas hic. Item, an beatitudo nostra constat in actu fruitionis voluntatis, vel apprehensionis intellectus, de quo 1-2 quæst. iv, diffuse.

DISTINCTIO II.

Ab hac distinctione incipit materia hujus primi libri. Qui generaliter dividitur in duas partes. In prima agit de unitate, et Trinitate usque ad distinctionem xxxv. In secunda de attributis scientiæ, potentiæ, et voluntatis ex quibus completur ratio productionis creaturarum. Circa primam hoc ordine procedit Magister ut primo ostendat dari hoc mysterium unitatis, et Trinitatis, quod pertinet ad quæstionem an est, et hoc

usque ad distinctionem viii, deinde specialiter, et sigillatim agit de his, quæ pertinent ad unitatem, et de his, quæ pertinent ad Trinitatem.

Igitur in hac secunda distinctione incipit ostendere dari hoc mysterium per testimonia. Et ad hoc facit tria. Primo, proponit modum investigandi hoc mysterium, et quid intenderint catholici tractatores. Secundo, affert testimonia veteris Testamenti pro unitate, et Trinitate. Tertio, affert testimonia novi Testamenti, quæ sunt expressiora.

Circa primum, ostendit circa hoc mysterium cum timore, et modestia agendum, quia nullibi erratur periculosius; et hoc intendisse omnes catholicos tractatores, ut secundum Scripturas docerent Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum unius esse substantiæ, et inseparabilis æqualitatis, ut ex Augustino probat.

Circa secundum, plures adducit auctoritates ex veteri Testamento probantes unitatem, et Trinitatem Dei. Unitatem quidem, ut est illud Deut. vi: *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus tuus est.* Trinitatem, ut est illud Genesis i: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram:* ubi in ly imagine unitas, in ly faciamus, et in ly nostram pluralitas designatur Personarum, ut ex Augustino lib. de fide ad Petrum, et ex Hilario iii et iv de Trinitate probat. Adducit etiam illud Genesis i: *In principio creavit Deus cælum et terram,* per Deum significans Patrem, per principium Filium, et nomen Deus per Elohim in plurali, quod significat iudices, designatur. Item ex illo Psalm. xxxii: *Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Item Psalm. lx: *Benedic nos Deus Deus noster, benedic nos Deus,* ubi triplex Dei repetitio, Trinitatem Personarum designat. Et Isai. vi illa trina Seraphinorum re-

petitio *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Et Psal. cix : *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis*; cujus etiam ineffabilis generatio Isaiæ liii pronuntiatur : *Generationem ejus quis enarrabit?* Et Proverb. i de divina sapientia : *Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar*. Specialiter vero de Spiritu Sancto aliqua testimonia adducit, ut Genes. i : *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; Sapient. i : *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*; Isai. vi : *Spiritus Domini super me, etc.*

Circa tertium, testimonia ex novo Testamento pro stabiliendo mysterio Trinitatis sunt, in primis Matth. xxviii : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; 1 Joan. v : *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*; Joan. i : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*; Joan. x : *Ego et Pater unum sumus*, et alia similia, quæ passim in novo Testamento reperiuntur.

Circa secundam distinctionem illa est genuina quæstio etiam ad expositivos pertinens. Utrum in veteri Testamento sufficienter mysterium Trinitatis fuerit expressum, et quid circa illud credere obligabantur tunc fideles, de quo interpretes D. Thomas ad 2-2 q. ii art. viii, et alii circa materiam Trinitatis, probando illam contra hæreticos et circa q. xxxii, i p. In eadem distinctione tractat D. Thomas de distinctione attributorum quomodo stet cum unitate Dei.

DISTINCTIO III.

Postquam Magister præcedenti distinctione ostendit dari mysterium Trinitatis ex testimonio Scriptura-

rum, an præsentem ostendit hoc mysterium quantum ad duo; primum quantum ad unitatem per rationes, secundo quantum ad Trinitatem per similitudines. Et in has duas partes dividitur hæc distinctio, quæ valde longa est.

Circa primum, ostendit quomodo Deus ut unus per rationes a philosophis investigatus est, juxta quod dicit Apostolus i : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et proponit quatuor rationes Prima ex Ambrosio quia videmus aliqua esse facta, quæ a nulla creatura fieri, vel destrui possunt. Quis enim tale cælum, et talem terram facere poterit? Ergo aliud est ultra omnem creaturam a quo talia facta sunt. Secunda ex Augustino viderunt philosophi nullum corpus esse Deum, et ita corpora transcenderunt; viderunt nihil mutabile, esse summum primumque principium et ita omnem animam, spiritusque mutabiles transcenderunt; denique viderunt omne mutabile non posse esse nisi ab eo, qui incommutabiliter est, ergo intellexerunt aliquem a nullo factum omnia fecisse. Tertia : Quidquid in substantiis est vel est corpus, vel spiritus, et spiritus melior est, quam corpus, sed longe melior, qui spiritum fecit, et corpus. Quarta : Cognoverunt dari speciem intelligibilem corporis, et hanc esse factam, intellexerunt etiam intelligibilem speciem præstantiorem esse sensibili, si autem omni specie carere possent, nulla essent, cognoverunt ergo aliquid esse quo illa speciosa facta essent, ubi est prima, et incommutabilis species, et primum principium quo omnia facta sunt, et hoc est Deus.

Circa secundum, inquit et explicat quomodo sit aliquod vestigium Trinitatis in creaturis. Et supponit per creaturas non haberi sufficientem notitiam Trinitatis, sed solum

per revelationem, adjuvamur tamen in explicanda fide Trinitatis per ea quæ facta sunt quasi per umbram. Vestigium ergo Trinitatis est anima humana, quæ est facta ad imaginem Dei. Et in ea explicat Magister esse imaginem Trinitatis tum secundum suas potentias, tum secundum actus. Quantum ad potentias, explicat quomodo in illis sit similitudo ad Trinitatem Personarum, et quomodo dissimilitudo. Potentiæ animæ in quibus attenditur hæc imago sunt intelligentia, memoria, et voluntas. In quibus similitudo attenditur in primis, quia hæc tria in eadem anima unam vitam, et essentiam animæ habent, sunt vero tres potentie, quæ ad aliquid dicuntur, id est ad objecta, et ad se. Item sunt omnino æqualia, id est æqualis capacitatis inter se, quia se invicem capiunt, et totum quod est in una capio per aliam, intelligo enim me velle, et volo me intelligere, et totum hoc memini, et e contra. Quidquid etiam volo intelligo, aut meminisse possum, et quidquid ignoro, nec volo, nec memini. Unde cum ad invicem se totas capiant, æqualitatem habent. Dicuntur autem esse unam essentiam, vel substantiam, quia in ipsa anima substantialiter existunt, hoc est radicantur, non sicut accidentia ad extra adveniunt. Et dicuntur inter se relative, quia non potest mens se amare, vel meminisse, nisi se etiam noverit. Est autem dissimilitudo ad Trinitatem Dei, tum quia homo habet istas tres potentias, sed ipsæ non sunt homo, sed hominis, tres autem Personæ sunt ipse Deus; tum quia unus homo habens illas tres potentias, una persona est, Trinitas vero non est una Persona, sed tres in uno Deo. Ultimo explicat quomodo hæc imago Trinitatis inveniatur in homine, non solum secundum potentias,

sed etiam secundum actus, scilicet quia in homine est mens, et notitia, et amor, quæ procedunt ab ipso, in his enim invenitur imago Trinitatis, præsertim cum anima se cognoscit, et amat, in quantum est processio unius ab alio, notitia enim gignitur a mente, et amor a notitia, et manent in substantia animæ et non est minor una, quam alia, quia anima tantam se novit quanta est, et tantam se amat quanta est, et notitia manet in mente, et amor in notitia, seu memoria, ex quibus omnibus epilogat in calce distinctionis, quo modo intelligamus Deum esse unum non duo, et similiter habere tres Personas distinctas secundum relationem, et tamen unius naturæ.

Circa hanc primam partem distinctionis iii est quæstio, an Deum esse sit demonstrabile, vel per se notum. Item, quæ sint rationes demonstrantes Deum esse; de quo i p. q. ii. Et ibi interpretes, et de eodem agit hic D. Thomas, q. i.

Circa istam secundam partem distinctionis moveri possunt tres difficultates. Prima, utrum mysterium Trinitatis possit cognosci quoad an est per creaturas, et in eis sit vestigium Trinitatis, de quo i p. q. xxxii, et iii p. q. xi art. i. Et hic D. Thomas, qu. ii. Et ibi interpretes. Secunda, quomodo distinguantur potentiæ animæ, de quo D. Thomas hic, q. iv; et i p. q. lxxvii. Et ibi interpretes, et in ii de anima. Tertia, quomodo penes potentias, vel actus attendatur imago Dei in homine, de quo D. Thomas hic, q. iv. art. iv; et i p. q. cxxiii. art. viii.

DISTINCTIO IV.

Ostensa Trinitate Personarum cum unitate essentiæ, quoad quæstionem, an est, in quatuor sequentibus distinctionibus dissolvit Magister quas-

dam difficultates, et quærit circa hoc mysterium sic in communi explicatum, quæ multum deserviunt ad modum loquendi. In quarta distinctione ponit difficultates circa quasdam prædicationes de Deo in concreto. In quinta circa prædicationes in abstracto. In sexta circa modum generandi et producendi, an genuerit voluntate, vel necessitate, etc. In septima circa communicationem, vel non communicationem potentiæ generativæ.

Igitur in hac distinctione quartæ tres quæstiones seu difficultates proponit Magister circa tres prædicationes de Deo in concreto sumpto. Prima, utrum concedendum sit, quod Deus genuit Deum. Ratio dubitandi est, quia vel genuit se Deum, vel alium Deum. Non primum, quia nihil generat seipsum. Non secundum quia tantum est unus Deus, non alius. Respondetur certum esse, quod Deus genuit Deum, ut in symbolo dicitur Deum de Deo, lumen de lumine. Ad instantiam vero negat utrumque scilicet quod nec se Deum genuit, nec alium Deum, sed Filium Deum, de quo statim dicit in calce distinctionis. Secunda quæstio, an genuerit Deum, qui est Deus Pater, vel qui non est Deus Pater. Si primum, genuit ergo se ipsum. Si secundum, ergo Deum distinctum. Respondetur quod non genuit Deum, qui est Pater, sed Deum, qui non est Pater, sed est Filius, non tamen sequitur esse alterum Deum, sed eundem Deum cum Patre, solum vero esse aliam Personam in Deo, quam Pater. Tertia quæstio, an sicut conceditur tres Personas esse unum Deum, sit concedendum, quod unus Deus est tres Personæ, quod aliqui negant? Respondetur utrumque esse concedendum, sunt enim idem Trinitas, et Deus, idque probat ex Augustino. In calce distinctionis redit ad illam propositionem, quod

Deus, nec se Deum genuit, nec alterum Deum, sed alteram Personam in eodem Deo, licet enim Filius sit alius a Patre, non tamen aliud.

Circa hanc distinctionem ponit tres difficultates D. Thomas. Prima, an in Deo sit generatio, de qua etiam i p. q. xxvii. Et ibi interpretes. Secunda, de veritate illarum: Deus genuit Deum, genuit se Deum, vel alterum Deum, de quo etiam i p. q. xxxix, art. iv. Tertia, quo modo possint Personæ prædicari de essentia vel contra, de quo i p. q. lix, art. vi.

DISTINCTIO V.

Expeditis difficultatibus circa prædicationes de Deo in concreto, agit de prædicationibus de Deo in abstracto. Et proponit tres difficultates circa tres prædicationes, circa quas duo facit in hac distinctione. Primo, propositis quæstionibus resolvit primam, et quamdam objectionem contra illam solvit. Secundo resolvit alias duas, et objectiones duas contra illas solvit. Quæstiones sunt istæ. Primo, an sit concedendum, quod Pater genuerit divinam essentiam. Secundo, an divina essentia genuerit Filium. Tertio, an divina essentia genuerit essentiam.

Circa primum ergo respondet negative. Et probat tripliciter. Primo, quia si Pater generaret divinam essentiam, essentia divina relative se haberet ad ipsum utpote genita, et sic opponeretur illi. Secundo, quia si generaret essentiam esset genitor ejus rei, quæ est ipse. Tertio, quia alias esset Deus ea re, quam generat, siquidem essentia divina Pater est Deus, quod a simili negat Augustinus dum dicit, quod Pater non est sapientia, quam generat. Non potest autem id quod aliquis generat esse ratio, et causa, ut sit ipsum generans. Sed objicit Augus-

tinus lib. de fide ad Petrum ubi dicit, quod Deus cum genuit Verbum, id quod ipse est genuit, nec de nihilo, nec de aliqua jam facta materia. Item hoc ad se ipsum indicandum genuiti, id est, quod est ipse, qui genuit. Respondetur sensum illorum verborum esse, quod Pater de se genuit Filium, qui est id quod Pater, nam quod est Pater est Filius, licet qui est Pater non sit Filius.

Circa secundum, ad alias duas quæstiones respondet negative, divina enim essentia non genuit Filium, quia Filius non esset divina essentia. Nec essentia genuit essentiam, quia sic essent duæ essentiæ, non una, et simplicissima res. Sed objicit duo. Primo, quædam verba Augustini et Hilarii. Dicit enim Augustinus quod Filius est sapientia de sapientia, essentia de essentia, et divinitatem Filii de natura Patris esse natam. Respondetur Augustinum sumere abstractum pro concreto, et sensum esse, quod Filius, qui est sapientia, qui est divinitas, qui est essentia, est de Patre, quod ex ipso Augustino in vii de Trinitate confirmat. Verba etiam Hilarii sunt: «Nihil nisi natum habet Filius, cum ergo habeat essentiam, et naturam, illa est nata.» Et expresse dicit in Filio ex Deo genitam esse naturam, et quod nativitas in unigenitam naturam subsistat. Sed respondet sensum horum verborum esse, quod Filius non habet aliquid nisi natum, id est nascendo acceptum, et ipse nascendo habet naturam Patris in se subsistentem, et sic natura genita est idem, quod generatione accepta. Secundo, objicit quod Augustinus multis locis docet Filium esse de substantia Patris, quæ utique est substantia etiam Spiritus Sancti, et Filii, alioquin vel esset de nihilo, vel de substantia creata, unde videtur consequi, quod divina natura, sive substantia ge-

nuit Filium. Respondetur sensum horum et similium verborum esse, quod Filius sit de Patre consubstantialis in eadem natura cum Patre, non autem quod ipsa natura, seu substantia sit gignens, an genita. Unde consequitur, quod Filius neque sit ex nihilo, neque ex aliqua materia; et similiter Filius dicitur substantiæ Patris, quia eadem cum Patre substantia est; et de essentia, seu natura Patris, et de scientia Patris, quia est ejusdem scientiæ, et essentiæ cum ipso, vel etiam, quia est ex Patre essentia, seu sapientia, est enim Pater ipsa essentia, et scientia Dei. Et solus unigenitus Dei dicitur Filius natura, quia ejusdem naturæ, et eadem natura est cum Patre.

Circa hanc distinctionem movet D. Thomas has quæstiones. Prima, utrum actus notionalis, ut generare, etc. possit dici de natura; et non solum de persona, de quo etiam agit i p. qu. xxxix, art. iv. Et ibi interpretes. Secunda, utrum Filius sit de substantia Patris vel ex nihilo, et quo modo hoc verificetur, de quo etiam i p. q. xli, art. iii. Tertia, an terminus generationis sit essentia, seu natura, an persona, de quo etiam i p. quæst. xxxix, art. v. Et agitari potest quæstio de formali termino generationis, et quid requiratur in divinis, ut sit generatio, de quo i p. quæst. xxvii, art. i et iii.

DISTINCTIO VI.

In hac distinctione proponit tertiam difficultatem Magister circa mysterium Trinitatis, quomodo scilicet Pater genuerit Filium, voluntate, an necessitate, vel natura? Et circa hoc tria breviter facit. Primo, proponit quæstionem, et resolvit. Secundo, objicit contra eam, et solvit. Tertio, explicat, seu advertit

quædam circa resolutionem datam.

Circa primum, respondetur difficultati propositæ ex Augustino quod Verbum est Filius natura non voluntate, nec etiam necessitate, id est, coactione. Quare concedendum non est, quod Deus volens, aut nolens produxit Filium, sed naturaliter, sicut etiam non est Deus volendo, aut nolendo, sed essentialiter.

Circa secundum, objicit contra prædicta: Voluntas Dei est natura, et essentia Dei, quia non distinguitur velle et esse, ergo si natura genuit Filium, etiam et voluntate. Sed facile respondetur quod licet voluntas, et essentia sint unum secundum rem, virtualiter est multiplex, et ita non quidquid voluntate facit, dicitur naturaliter facere, sicut voluntas, et scientia sunt idem entitative, et dicitur scire bona, et mala, non tamen velle bona, et mala, sed solum bona, et voluntate producit creaturas non natura, licet natura, et voluntas sint idem.

Circa tertium, advertit Magister quod quando dicitur Patre, nec voluntate genuisse Filium, nec necessitate, nec volens, nec nolens, intelligitur de voluntate antecedenti, id est quod voluntas non sit ratio, et causa generandi, non de voluntate concomitante, nam Deus simul habet voluntatem generandi, et volendi Filium, quando naturaliter generat illum.

Circa hanc distinctionem movet S. Thomas illam difficultatem: An actus notionales sint voluntarii, an vero necessitate facti, vel natura, de quo etiam tractat 1 p. quæst. xli, art. ii, et quæst. ii de potentia, art. iii. Videantur ibi interpretes.

DISTINCTIO VII.

In hac distinctione proponit Magister ultimam difficultatem circa

mysterium Trinitatis ex his, quæ in initio distinctionis quartæ diximus, videlicet circa id quod potest una Persona, et non alia, sicut Pater potest generare, non Filius. Et tota distinctio dividitur in tres partes, in quibus proponit tria quæsitæ. Primum est, si Pater voluit, et potuit gignere, ergo aliquid potuit, et voluit, quod non Filius, nec enim Filius potest gignere. Respondetur quod illud aliquid, scilicet generatio Filii non est subjectum potentiæ, vel voluntatis, nec est aliquid inter omnia, vel de omnibus, sed super omnia, et ante omnia, sicut Pater potest, et vult esse patet, quod non vult, nec potest esse Filius, sed esse Patrem non est aliquid, sed ad aliquid.

Secundum quæsitum est circa quædam verba Augustini lib. i contra Maximum, qui dicebat Patrem potentiorum Filio, quia Pater potuit gignere, non Filius; Augustinus autem respondet, quod Filius non genuit, non quia non potuit; sed quia non oportuit, sequeretur enim processus in infinitum, quia etiam ille alter Filius debuit generare, et ille alius, etc. Est autem dubium quomodo dicatur, quod Filius potuit gignere alium Filium, sic enim potuit esse Pater, et non sui, quia nullus se generat, non Spiritus Sanctus, qui non potest gigni, non Patris, quia est innascibilis, non alterius, quia alia Persona non est. Respondetur ergo hoc posse sic intelligi, quod hoc non provenit ex impotentia, hoc est ex deficientia aliqua, sicut etiam Pater non potest esse Filius; sed non ex impotentia, sed provenit ex proprietate, qua iste est Pater, et ille Filius, et in hoc distinguuntur.

Tertium quæsitum, an potentia qua potest Pater gignere non sit in Filio, sic enim Pater haberet aliquam potentem, quæ non est in Fi-

lio. Respondet Patrem esse potentiam gignere ipsa natura, seu essentia. Unde eadem potentia qua potest Pater gignere, potest Filius gigni, et utraque est infinita seu eadem, licet proprietates genitoris et geniti sit diversa, non potestas. Et ita cum dicitur Filius non habere potentiam generandi, quam Pater habet, respondetur quod habet eandem potentiam cum Patre, sed non cum proprietate ut generet, sed ut generetur, sicut habet eandem voluntatem et essentiam cum Patre, sed non ut velit esse Pater, vel ut sit, sed ut sit Filius, et eodem modo Pater non habet potentiam vel voluntatem, ut sit Filius.

Circa hanc distinctionem movet D. Thomas duas quæstiones. Primo, an in Deo sit potentia generativa, quæ sit aliquid absolutum, vel respectivum, de qua etiam agit 1 p. q. xli, art. iv et v, et de pot. q. ii, ar. ii. Secundo, an potentia generandi sit in Filio, et cur non possit generare alium Filium, de quo hic, et q. ii, de potent. art. 5.

DISTINCTIO VIII.

Ab hac distinctione post explicatum hucusque mysterium Trinitatis cum unitate essentiæ quoad an est, incipit Magister agere determinate, et in speciali de singulis quæ ad hoc mysterium concurrunt, scilicet de his, quæ ad unitatem essentiæ, et de his, quæ ad ipsas Personas, et de his, quæ ad proprietates. Et primo agit de istis secundum se a distinctione viii, usque ad xxxii. Denique agit de illis comparative inter se per duas distinctiones, scilicet xxxiii et xxxiv. De illis secundum se considerat ordine dicto; primo quædam, quæ pertinent ad unitatem Dei in hac distinctione viii. Deinde, quæ pertinent ad Personas divinas, earumque processiones a distinctione ix, usque ad

THEOLOGIA I.

xxv, et tertio de proprietatibus personalibus a distinctione xxvi, usque ad xxxii.

Igitur in hac distinctione viii tria principaliter agit Magister tractans tria attributa quæ ad unitatem essentiæ pertinent. In prima parte agit de ipso esse Dei, qui solus in veritate est, et sic est æternus. In secunda de immutabilitate Dei. In tertia de ejus simplicitate.

Circa primum ostendit ex Augustino Deo proprie competere ipsum esse, quia de se dicit: *Ego sum*, et sic ejus essentia non novit præteritum, nec futurum, sed est æterna. Quod etiam Hieronymus dicit in epistola ad Damasum, quod Deus tantum est, quia non novit fuisse, vel futurum esse. Circa quod tamen dubitat Magister quia frequenter reperimus scriptum, quia fuit semper, et erit in sæcula, sicut enim si solum diceretur de Deo, quod fuit, putaretur præterisse, ita si dicatur tantum quod est, putaretur, quod non semper fuerit. Et respondet, quod negatur de Deo præteritum, et futurum quantum ad significationem temporalis motus prætereundi, vel venturi, non quantum ad permanentiam substantiæ, quæ semper fuit, et semper erit non desinendo, nec de novo addendo.

Circa secundum, ostendit solius Dei propriam esse immutabilitatem, et probat ex Augustino eo quod Deo nihil accidere potest, siquidem verissime, ac proprie habet esse, quod autem mutatur non servat semper idem esse, siquidem mutari potest, ergo Deus immutabilis omnino est, si est ipsum esse sine fuisse, vel futurum esse. Secundo, probat ex alia auctoritate Augustini adducens illud Apostoli: *Qui solus habet immortalitatem*, id est, omnimodam immutabilitatem juxta quod dicitur Jacobi i. *Apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio,*